

quod, stante illa, ὅλον το σωμα in antecc. accipiendum esset de toto corpore humani generis, non de proprio cujusque hominis corpore, id quod tamen ipse WOLFIVS non admittit, & recte quidem; non enim, quem influxum habeat lingua in macrocosmum, in alios extra nos, JACOBVS heic docere instituit, sed quem habeat in microcosmum; quod ipsum etiam HEISENIVS urget, pag. 830. §. XVI. scribens: „πρæcedit ἀμεισως de lingua, quod maculet totum corpus. Cujus quæso? *Homini* dices, non *humani generis*, quod, ut unum corpus non habet, ita nec græca lingua accepit. Vide ergo, annon saltus committatur, si ab homine in individuo statim ad totum hominum genus proleatur, &, annon illa præferenda sit explanatio, quæ hunc fundit sensum: Lingua (hominis) corpus contaminat, & (ejusdem in individuo hominis) inflammat τροχον γενεσεως.„ Atque sic & BEZAE expositio eandem ob causam admitti nequit; Cujus est σωμα, quod lingua contaminat, ejus quoque est ὁ τροχος γενεσεως, quem ista inflammat, i. e. *hominis ipsius*, qui lingua peccat, non *totius mundi* extra illum.

§. XIV.

Viderunt hoc alii, ideoque per τροχον γενεσεως, de quo Jacobus loquitur, II.) intelligendum putarunt vel partem aliquam corporis humani, vel aliquid ad totum hominem spectans. A) Qui de parte corporis humani heic cogitarunt, iis varia in mentem venire, quæ appellationem τῶ τροχῶ γενεσεως sustinere possint.

sint. a) Vix charta hac digna est conjectura MART.
 de ROA *Jes. Hisp. Singg. LL. S. Script. P. II. pag. 89.*
 num *rota nativitat* idem forte sit, quod *προσωπον*
γενεσεως, *facies nativa*, Cap. I, 23. cum enim *רָלָל*,
 cui respondeat *τροχος*, & rotam, & oculorum orbes,
 & caput ipsum, quia rotundum, significet, (unde
 & Hebræis *רָלָל* notet *faciem*, *רָלָל* autem *rotam*)
 JACOBYM hoc velle videri posse: Linguam, irarum
 ignibus inflammata, irarum ignes accendere non
 solum in corde, sed etiam in *vultu*, qui, genis arden-
 tibus, ore, oculis, naribus, ignem spirantibus, in ira
 totus sit igneus; Quam contorta sit hæc expositio,
 omnique destituta vi & gravitate, quivis facile per-
 spicit. Tacemus alia quæ obverti possent. b) Ma-
 jori specie blanditur DAN. HEINSII sententia *Exerc.*
SS. p. 591. f. cui *τροχος* (ita enim legi vult, ut su-
 pra observavimus) *γενεσεως* est ipsa *Lingua volubilitas*
naturalis, (perinde ut C. I, 23. *προσωπον γενεσεως* est
facies naturalis) quam *inflammare* illa heic dicatur;
 Atque hanc interpretationem HEISENIUS *l. c. p. 847.*
§. XXXIII. ff. locum etiam habere asserit, si lectio
 recepta, *τροχος*, retineatur, provocans hoc sine par-
 tim ad locum Syrac. XXXVI. (Germ. XXXIII.) *§. 4, 5.*
 ubi fatuus in loquendo comparetur *τροχω ἀμαξης*,
 & *ἀξονι σφειρομενω*, *rotæ currus*, & *axi versatili*, par-
 tim ad id, quod *velocitas* seu *volubilitas* linguæ fre-
 quentatum veteribus, PLUTARCHO v. g. EURIPI-
 DI, aliisque, cognomentum *ὑπεροχος* ei conciliaverit;
 Addi etiam possit locus Prov. XXV, II. ubi *רָלָל*,
rotæ,

rotæ, sermoni tributæ, sec. SCHVLTENSIVM in
Comm. ad Prov. pingunt volubilem linguæ rotunditatem,
 omni troporum, schematum, & figurarum dignitate ac
 gratia ornatam simul, simul incitatam. Sed minus
 nobis verisimile videtur, Apostolum, postquam in
 præcc. jam dixerat, linguam commaculare totum cor-
 pus, nunc a corpore ad ipsam linguam rediturum, &
 quod illa se ipsa inflammet, dicturum fuisse; Tace-
 mus, vix concipi posse, quomodo illa se ipsa accen-
 dat? Aliunde potius eam ignem suum concipere, e fine
 comm. liquet. Probabilius omnino alii τὸν τροχὸν γεγε-
 σως non ad linguam ipsam, sed ad diversum quid a lin-
 gua, referendum putant; & quidem, non sine ma-
 gna specie, (quæ jam c)tia *Classis I.* sententia est) vel
 ad cor humanum, ut ANONYMVS in *Museo Helv.*
P. VIII. p. 516. qui tamen deinceps metonymice af-
 fectus maxime sub eo intelligendos autumat, vel
 potius ad *Circulationem sanguinis*, quæ propriissime ro-
 ta naturæ seu vitæ adpellari queat, & in ipsa S. Scri-
 ptura in poëtica illa pictura senectutis Coh. XII, 2-6.
 הַבּוֹר - אֶל הַנְּלִגָּל (apud LXX. τροχὸς ἐπὶ τὸν λάκκον,
rota ad cisternam;) appelletur. Jam e recentioribus
 quidem haud pauci in ea sunt sententia, quod in ex-
 plicanda illa poëtica descriptione *Senii*, vel *mortis* potius,
 (hanc enim proprie respicit v. 6.) nequaquam opus sit,
 ut ostendatur, quæ partes corporis hum. respondeant
 singulis IV. partibus putei, a quo metaphora ducitur,
 scilicet τὸν ἑλκὸν, ἡ ἑλκὸν, & ἡ ἑλκὸν, sed omnino
 adquiescere liceat in hac generaliori hujus compara-

tionis interpretatione: *antequam vivi sanguinis tui fontē* (uti eleganter LACTANTIUS, de Opif. Dei, Cor adpellat) *idem eveniat, quod puteo, remoto fune, recurrente trochlea, fracta fitula; quemadmodum enim tunc motus & usus totius machinæ perit, cujus ope aqua in subjectam vehebatur cisternam, sic etiam fractis ablativæ partibus, h. e. morborum aut ipsa ætatis vi destructis, quæ ad vitam retinendam necessariæ essent, cessabit motus cordis tui; ita Cl. E. T. EBERTVS in Diss. de Imagine Senis Salomoni ex Eccl. C. XII. Lipsiæ anno superiori edita, p. 39. §. XIII. & quem ducem is secutus est, Ill. MICHAELLIS in den Anmerk. zu dem Pred. Buch Sal. p. 71—77. At iidem tamen simul fatentur, circulationem sanguinis phrasi הגלגל אל-הכור adumbratam esse, etsi vel maxime Salomo non fuerit Harvaus ante Harvaum, h. e. detectam ab hoc Anglo circulationem sanguinis nondum sciverit; Quod vero JACOBVS ad hunc Ecclesiastæ locum respexerit, laudati Auctores aut non crediderunt, aut certe c. II. non commemorarunt; e contrario DeEtiff. c. F. SCHMIDIUS, Prof. Lips. diserte id professus est in Diss. de Vers. Alex. optimo Interpr. LL. SS. prasidio, Spec. II. in ep. Jac. pag. 22. Neque, quod HEISENIUS c. I. p. 854. §. XL. contra hanc sententiam excipit, scil. nusquam apud Vett. sanguinem vocari γεγενειω, stringere nobis videtur, cum sufficiat, γεγενειω notare posse naturam seu vitam, circulationem vero sanguinis omnino commode dici posse rotam naturæ seu vitæ. Aliud est, quod assensum nobis dissuadet, hoc nim. quod*

quod *partim* explicatu perquam difficile est, *quomodo* lingua inflammet sanguinem, *partim* vero gradatio inesse videtur tribus colis: 1.) ἡ σπιλῆσα ὅλον το σωμα, 2.) καὶ φλογίζεσα τον τροχον της γενεσεως, 3.) καὶ φλογιζομενη ὑπο της γενενης (nam hoc *ultimum* καὶ *pror-* *fus* redundaret, si φλογιζομενη κ. τ. λ. *causa* saltem esset τῆ φλογιζεσα, non vero, tristius adhuc, *consequens* illius) Atqui nulla foret gradatio, si τροχος γενεσεως de *parte* tantum corporis humani accipi deberet, adeoque ar- *tioris* ambitus esset, quam ὅλον το σωμα. Utraque hæc ratio militat quoque adversus novam illam, sed *priori* vicinam, quippe a corde ad vicinos progredientem pulmones, sententiam, ab HEISENIO allatam §. XXXIX. ubi *rota nature* ipsi adpellari etiam posse videtur *Inspiratio & Respiratio*, quæ PLATONI jam dicta sit τροχός, & ALCINOΟ κυκλος. d)ta Sententia I. Classis, de τροχῷ γενεσεως *venereo*, est HEISENII, quam §. LXVI. (ubi ipsemet illam hoc prædicato a reliquis distinguit) in solidum sibi deberi, nec cuiquam ante se in mentem venisse, impense sibi gratulatur. Multus quidem est Vir Doctiss. in eadem adstruenda ornandaque inde a §. XLV—LIX. At vero, licet inter alia is ostendere quoque satagat, *co-* *hærentiam* sermonis & Apostoli *scopum* maxime huic interpretamento favere, nobis tamen nil a contextu & scopo alienius cogitari potuisse persuasum est. Quod enim *ad nexum cum antecc. & consequ.* spectat, certum quidem est, peccata impuritatis, uti ex orco originem ducunt, ita & præ aliis *totum corpus* comma-

culare, sed inde non sequitur: E. h. l. illa præ aliis in-
 nui credendum est; nam utrumque & aliis convenit
 peccatis; Quid? quod per *totam* epistolam multa qui-
 dem ac varia perstringantur vitia, sed *lasciviæ* nusquam
 fiat mentio; Et quam misere Interpres se torquere
 necessum habet, si ostendere qualitercumque velit,
 quomodo *lingua*, non tam in *aliis*, (quod ostendi for-
 san quodammodo possit) quam in *unoquoque homine*
ipso, lasciviam incendat, vid. cit. Auct. §. LIII, LIV.
 Quoad *scopum* autem plane precarium imo falsissi-
 mum est, quod JACOBVS in *hac epistola* ac in primis
 C. III, I. eosdem mali commatis Doctores redarguat,
 contra quos & PETRVS & JVDAS in *Epp. suis* cala-
 mum strinxerint; contraria quævis ex iis, quæ *supra*
ad x. I. h. c. annotavimus, patere arbitramur.

§. XV.

Recensitis hætenus sententiis, quæ phrasi *προχος γενεσεως* ad hanc illamve C. H. partem respici statuunt,
 ad eas nunc pergimus, quæ ad totum hominem eandem
 referunt; Pertinent autem ad hanc II. Classem omnes
 isti Interpretes, quibus vox *γενεσεως* notare hic visa est
 vel *nativitatem* hominis, vel *vitam* ejus, vel *naturam*.
 A) Qui *γενεσιω* de *nativitate* accipiunt, (quatenus
 nim. hæc vox descendit a verbo *γενωμαι* in signifi-
 catu *Fio*) iis *προχος γενεσεως*, (genitivo *γενεσεως*, *nati-*
vitatis, posito pro *adjectivo* *γενεσιος*, ad *nativitatem*
 pertinens, seu, *natalitius*) videtur notare posse *Sidus*
natalitium, a quo Gentiles, ut cetera, quæ in terris
 fiunt,